

VLIET, JOHAN VAN DER

**Epistula Flori : Carmen ... magna laude
ornatum**

Amstelodami
1898

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>


More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

EPISTULA FLORI.



EPISTULA FLORI.



C A R M E N

JOANNIS VAN DER VLIET

R E E V I C E N S I S

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.



AMSTELODAMI,
APUD IO. MULLERUM.

CIOCCCCXVIII.

EPISTULA FLORI

FLORI

JOHANNIS VAN DER VLIET

JOHANNIS VAN DER VLIET

REPERIUNTUR

IN CERTIS HORTICIS HORTICIANIS

MAGNA LAUDE ORNATUM

AND IO MULLERUM

AMSTELÆDAMI

EPISTULA

P. ANNII FLORI RHETORIS ET POETAE

TARRACONE

AD AMICUM QUENDAM

ROMAM SE REUOCANTEM DATA.

¹⁾ Consules fiunt quotannis et noui proconsules
haud secus uates Latinus anno quoque nascitur.
Florus leuiter mutatus.

Quod me, care, uocas magnamque, sodalis, ad urbem ²⁾

Attrahis, officio tu manes in solito.

¹⁾ cf. Claudii Rutilii Namatiani de reditu suo, accedunt Hadriani
Flori aliorumque poetarum reliquiae ed. L. Muller. Teubner. p. 30.

²⁾ cf. P. Annii Flori Vergilius orator an poeta. ed. Rossbach post
L. Annaei Flori Epitomae l. II. Teubner. p. 183 sqq. „quid istic' inquam
,Florum uides, fortasse et audieris, si tamen in illo orbis terrarum con-

Carmina nam passim recitari per fora iactas,

Summi quîs mihi laus est celebrata ducis.

Ipsi confiteor dudum mihi, Roma, videri

Mirum, quod turbae pars ego nulla tuae;

Me desiderium quidem habet male, sed nimis alte

Insedit menti dedecorisque dolor

Praemique indigne uatum in certamine adempti,

Iam dederat populi quod fauor unanimis.

ciliabulo sub Domitiano principe certamini nostro adfuiſti? et Baeticus ,tunc es' inquit ,[ille] ex Africa, quem summo consensu poposcimus? inuito quidem Caesare et resistente, non quod tibi puero inuideret, sed ne Africa coronam magni Iouis attingeret (pag. 183) ,et quid tu' inquit ,tam diu in hac prouincia — nec urbem reuisis, ubi uersus tui a lectoribus concinuntur et in foro omni clarissimus ille de Dacia triumphus exultat (pag. 184); quod ad me pertinet, ex illo die, cuius tu mihi testis es, postquam ereptam manibus et capiti coronam uidi, tota mens, totus animus resiliit atque abhorruit ab ista ciuitate adeoque sum percussus et consternatus illo dolore, ut patriae quoque meae oblitus et parentum carissimorum similis furenti huc et illuc uager per diuersa terrarum? (ib.) Cum versu altero cf. Apul. Met. II. 20 ,tu quidem domina', ait ,in officio manes sanctae tuae bonitatis' ib. V. 19, uos quidem, carissimae sorores ,ut par erat, in officio uestrae pietatis permanetis'

Iam puer ingenii florebam diuite uena

Risit nascenti candida Calliope.

Mox patriae spretis angustis finibus, exul

Sponte, peto Italici numina magna Iouis;

Nec Capitolini, certamen ad omne paratus

Laudis, formidans iudicis arbitrium

Vectus eram extremis Libyae natalis ab oris,

Musarum ductu fisus et auspicio.

Ut quondam Ausoniae uictor peragrauerat arua

Ferro igni miscens Hannibal omne solum,

Sic ego de Roma de Romanisque poetis

Mente triumphabam, Poenus et ipse genus.

Immo Barcidae superabat gloria laudés,

Quam mihi fingeabant somnia purpurea:

Hannibal aeternas longe modo uiderat arces

Summum in arce artis regnum aditurus eram.

Heu, spem tam faustam princeps inmitis ademit

Laurum Afrae fronti dum inuidet Aoniam.

Ut cecidit Phaethon summo de culmine caeli

Haud aliter uoti culmine lapsus ego.

Urbi terga dedi: Musam parere iubebam,

Frustra Afris aequam, uatibus Italicis.

Longinquas terras oculis lustrare parau

Mysta uagusque bibi Niliacos latices

Linigera in turba didicique recondita, cultor

Sistro pulsato feruidus Isiaco.

Inde redux pergo ad populos Aquilone niuali

Pallentes, ornat quos coma flauicolor;

Solis mox audius Pyrenen scando neque ultra

Festinans alas ¹⁾ Hesperiae posui.

Hic olim taurus ²⁾ pariter portator amator

Fictus Agenoridis dulce remisit onus.

¹⁾ cf. Iuuenalis. I. III. 25.

²⁾ Florus l. l. p. 186 quippe si uetera templa respicias, hic ille colitur corniger praedo, qui Tyriam uirginem portans, dum per tota maria lasciuit, hic amisit et substitit, et eius quam ferebat oblitus subito nostrum litus adamauit.

Sedibus optatis celeri pede labitur aetas,

 Caeli temperies, ubera rura iuuant.

Num pater inquiris uictum reditumque ministret

 Longinquus: minime; prospicio ipse mihi.

Suscenset mihi enim genitor carpitque uagandi

 Ardorem nimium, carpit et instabilem.

Rhetoris officio fungor uicibusque docentis,

 Sic tueor vitam, munia dum tueor.

Dixi principio uitam hanc operamque perosus

 „Quisquam me misero uix miserabilior.”

Tempore dulcescunt quae primum ingrata palato,

 Tempore dilexi quae fuerant odio.

Nulli splendori cedat splendore magister,

 Regis pro solio uilis erit cathedra.

Pulchrius is faciet, flectit qui hortamine mentes,

 Quam ciues toruo qui premit imperio.

Praeses es agminibus, moderaberis utile munus:

 Agmina parua reges utilius populo.

Turbae delector conspectu mane nouellae

Cui de suggestu praesideam placide.

Deinceps excipiunt sese rubicundior ore

Pallidiorque color: qualia uere nouo

Lasciuae campis constringuntserta puellae,

Lacteus et roseus dum variatur honos,

Baccarum seriem uel iungit quale monile,

Murex distinguit quod niueusque nitor.

Pars haec auricoma est, fuscis pars illa capillis,

Tessellati operis turba refert speciem.

Nec magis aequales mentes: ecce ordine longo

Candida fallaci, tardula mixta citae.

Alter eget stimulis, retinentibus alter habenis,

Durius hunc tractes, comiter illum habeas.

Cum praetextatus conuenit mane popellus

Principium nobis propitiare deum;

Deinde nigra in tabula sententia scribitur alba

Ductibus et pulchris paruo imitanda stilo.

Exinde addendo cumulamus, multiplicamus,

Diuiduos facimus, detrahimus numeros.

Computus ad calcem peruenit et hora peracta est:

Fit noua materies aggredimurque noua.

Libris in manibus sumptis euoluimus artem

Grammaticam, uigiles id meditatur opus.

Hinc uetus instat Homerus et exemplaria Graeca

Admirans uersat rite tenella manus.

Luditur interdum nimium neque tenditur arcus,

Ludus adhuc ludo saepe docet melius.

Iurgia ludendo pueris rixaeque mouentur

Hic summus iudex, arbiter unus ego.

Rursus deinde scholam petimus leuiora secuti,

Pondus decrescit deficiente die.

Fabula narratur, pendent ex ore loquentis

Scintillant oculis, exitus expetitur,

Laetifico gaudent, maerent cum sorte dolentis

Fidior est speculo uitreus ille animus.

Hac uita uitam meliorem uiuere nusquam

Possum, iam ualeant culmina celsa nimis.

Sedibus his, bone, me Romam compellere noli,

Tu potius migres otium ad Hesperium.

www.books2ebooks.eu